



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.3. Suevi convertuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](#)

tum pecuniae contulit, & Marito in de- Sæculum VI.  
corandis aliis Ecclesiis operam junxit. A. C. 561.  
Hæc magnæ pietatis & nobilissimi san-  
guinis Matrona genus ab Imperatore A-  
vito ducebat.

### §. III.

### *Suevi convertuntur.*

**S**ub idem ferme tempus Suevi ab annis  
centum & quinquaginta Ariani Ga-  
læciam incolentes ad Fidem conversi. *e. II.*  
*Greg. Mir. S. Martini*  
sunt. Chararicus seu Theodemirus Rex  
filium habebat decumbentem, & adeo  
languentem ut ægerrime spiritum tra-  
heret. Tum Rex ad suos: *Quæso!* edi-  
cite mihi, cuius Religionis sit Martinus  
ille, quem in Gallia tot Miracula edere  
ferunt? Responderunt: *Episcopus fuit,*  
*& Populum suum docuit, Filium æquali*  
*bonore cum Patre & Spiritu Sancto ut-*  
*pote substantia parem esse colendum.* Si  
ita est, dixit Rex, omicorum meorum fi-  
dissimi ad templum ipsius eant, & magna  
munera deferant. Et si filio meo sani-  
tatem impetrant, idem, quod sanctus Vir  
credidit, & ego credam, postquam Fidem  
Catholicam edocitus fuero.

Itaque tantum auri & argenti, quantum filii sui pondus æquaret, appendi, illudque Turonem ad S. Martini sepulchrum deferri jussit. Legati inde reveri dixerunt ad Regem, quod ibi plura pa-

8 HISTOR. ECCLESIAST. LIBER XXXIV.

Sæculum VI. trari Miracula vidissent, & addiderunt:  
A. C. 561. *Nescimus, cur filius tuus non fuerit sanatus.* Intellexit Rex, filium suum non prius sanandum, quam JESUM Christum Patri suo æqualem crederet. Tum Ecclesiam in honorem S. Martini ædificare cœpit, & postquam consummavit, dixit: *Si usque adeo Cælum me amet, ut hujus sancti Viri Reliquias possim accipere, omnia, quæ Episcopi docent, credam.*

Ergo secundo suos cum majoribus Donis Turonem mittit; quo ubi pervernerunt, petierunt Reliquias. Oblatae sunt ipsis aliquæ, quales aliis dari solebant, id est lintea, aut panni, qui aliquamdiu super sepulchro jacuissent. Ipsi dixerunt: *Liceat nobis ipsis sepulchro imponere, quod ablaturi sumus.* Tum imposuerunt velum sericum prius appensum, & dixerunt: *Si coram S. Patrone nostro Gratiam invenimus, quod supra sepulchrum posuimus, cras graviore pondere erit, illudque tanquam Cælestem Benedictionem servabitur.* Cum igitur una nocte vigilassent, altera die mane velum sericum appenderunt, & tantum fuit pondus quantum libra ferre poterat. Ipsi deinde has Reliquias inter solemnes cantiones per urbem ferentibus, in illius Civitatis carceribus detenti quæsiverunt, quid ageretur. Responsum est: *S. Martini Reliquæ in Galæciam mittuntur.*

Illico

illico captivi isti invocata S. Viri ope Sæculum VI.  
 liberati sunt, accedentes ad Reliquias A. C. 561.  
 Servatori suo gratias egerunt, & Episco-  
 pus gratiam ipsis a Judice impetravit.  
 Legati Galæciæ hac re vehementer de-  
 lectati nec amplius dubitantes, quin tan-  
 tus Patronus ipsis faveret, post felicem  
 navigationis cursum in Patriam reversi  
 sunt. Reliquæ summa Veneratione ex-  
 ceptæ, Regis filio recepta in columitate  
 obviam procedente. Rex unitatem Pa-  
 tris, & Filii, & Spiritus S. confessus, cum  
 tota Aula sacro Chrysate unctionus est. (\*)  
 Lepra ab omnibus, plurimi enim de po-  
 pulo hoc morbo laborabant, repente ab-  
 scessit. Multa in nova S. Martini Eccle-  
 sia patrata miracula, & tantus populi pro  
 Religione Catholica zelus fuit, ut si occa-  
 sio se præbuisset, Martyrium tolerasset.

Ita hanc Historiam Gregorius, qui  
 postmodum elapsis ferme annis duode-  
 cim Episcopus Turonensis fuit, refert.

#### §. IV.

#### *S. Martinus Dumiensis.*

Conversio illa præprimis perfecta est o- *Fort. L. V.*  
 pera alterius S. Martini, quem *Divi-carm. I.*

A 5 na

(\*) Hæc Unctio Sacramentum Confirmatio-  
 nis fuisse videtur, vel Supplementum Unctionis  
 illius cum Chrismate, quam Ariani in Baptismo  
 emittebant.